



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Capvt XI. (a) Idem Archiepiscopo Patracensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

## N O T A E.

1. (a) **R** Agafino. ] Ita etiam legitur *sub hoc tit.*  
*cap. 1. in 3. collect. Ragusinensis Ecclesie*

fuit Archiepiscopalis in Slavonia, Metropolis H-  
lyrici, habens suffraganeas Ecclesias Stanensem,  
Bosonensem, Tribunensem, Biduanensem : re-  
ferr Carolus à sancto Paulo in *Geograph. sacra*,  
ad finem fol. 18.

## CAPVT X.

(a) Idem *Constantinopolit. Patriarcha.*

**I**nter quatuor animalia. *Et infrā :* De clericis autem, qui Ecclesiis, vel præben-  
idas sibi concessas, sine iusta, & necessaria causa, tuo præsertim non accedente  
consensu in hac deferunt (b) novitate, hoc tibi duximus respondendum, quod post-  
quam congruo tempore fuerint expectati, nisi redierint ad illas, poslunt eis justè  
privari, dum modo non sint justo impedimento detenti.

## N O T A E.

2. (a) **I** Dem. ] Ita etiam habetur *in 3. collect. sub hoc tit. cap. 2. epigraphen autem hanc expolui*  
*in cap. inter, 2. de majorit. & obed. & integrum*

epistolam retuli *in cap. inter, de cleric. peregrin.*  
(b) *Novitate.* ] Cūm videlicet Constantino-  
polis capita fuit à Latinis, ut retuli *in dict. cap. in-*  
*ter quatuor, & fusè narrat Bosquetus in gestis*  
*Innoc. III.*

## CAPVT XI.

(a) Idem *Archiepiscopo Patracensi.*

**E**x tuæ devotionis insinuatione recepimus. *Et infrā :* In Ecclesiis autem eorum,  
qui se fraudulenter absentant, nec ad ipsos valet citatio pervenire, triaæ ci-  
tationis editum facias publicari, & si nec sic curaverint obediare, si ultra sex men-  
ses suas deseruerint Ecclesiis, ut juxta canonicas sanctiones eis debeat merito  
spoliari. Contra eos quoque, sicut suprà dictum est, etiam procedatur, ut ipsos  
post suspensionis, & excommunicationis sententias, ad tuam obedientiam venire  
compellas. Quod si nec sic illorum malitia poterit emolliri, eos dil. f. B. tit. san-  
cta Sustannæ presbyter Card. Apost. Sed. Leg. ab spiritualium administratione re-  
moveat, & quibus præsentū Ecclesiis, de personis idoneis faciat provideri, & in eos  
degradationis sententiam non promulget, ut cum eis misericorditer, si expediatur,  
facilius agi possit.

## N O T A E.

3. (a) **P**atracensi. ] In hac sexta collectione legi-  
tur Panormitano, & D. Rochus Pirrho-  
tom. *Sicilia sacra, in Ecclesia Panormit.* existi-  
mat Innocentius III. in praesenti scribere Pa-  
risio Archiepiscopo Panormit, sed verius cre-  
do, legendum esse Patracensi; unico, & magno  
ductus fundamento; nam Benedictus Cardinalis  
tituli sancta Sulannæ, cuius mentio fit in  
praesenti, temporibus Innocentii Legatus S. A.  
degebatur in Patracensi Metropoli, non vero in  
Panormitana, ut ex gestis Innocentii III. sta-  
tim referendis apparebit. Unde cum Patracensi  
Archiepiscopo alloqui Innocentium in praesenti  
necessariò deducitur. Patras civicas, Pausa-  
niæ & Stephano testibus, prius Arce, dicta est,  
recenseturque inter primas urbes Achaja: sed  
ejusdem Jonibus ab Achaja, Patreus Preugenis  
filius, Ageroris nepos, qui ab Amycla & Lace-  
dæmone maiores deducbat, à viro nomen  
ambitu hanc de suo nomine Patras appellavit.  
Situs ejus est in longissimo Peloponnesi pro-

montorio, ex adverso Aetolie, & Eveni flumi-  
nis: & maximè apud antiquos fuit celebris  
ex martyrio D. Andreae Apostoli, qui sub Aegea  
Proconsule apud eam passus est; nec non ex  
Sede Metropolitanâ, quam in ea olim fuisse  
evidenter probat notitia Constantinopolitanâ  
prædicta apud Leumclavium; siquidem in ejus  
fine inter Metropoles à Romano Patriarchatu  
ab ipsis avulsa, Constantinopolitanaque sub-  
ditas recentetur. Sed longè prius ad hunc Me-  
tropolis gradum, saltem quod honorem, even-  
tam esse, non leviter coniicio ex catalogo Me-  
tropolitarum, ad quos scripsit Leo Imperator,  
qui in fine Concilii Chalcedonensis extat, in  
quo Patracensem Episcopum inter eos videre  
est. Hunc inter suffraganeos Metropolitanæ Co-  
rinthiorum, epistolæ synodicae Achaja sub-  
scripsisse non diffiteor; sed quamvis ex hoc sa-  
tis clare proberetur, eum suffraganeos non ha-  
buisse hujus Concilii tempore, nihil tamen  
obstat, quo minus inter Metropolitanas honora-  
rios locum habere, qui tunc Corinthiorum  
vero Metropolitanæ parebant; & inter ejus suffra-  
ganos

ganeos subscripti ut plurimum leguntur in Constantino-  
poli, Burgundio hujus civitatis Archiepiscopo relictus Innocent. in praesenti, cuius elec-  
tio historiam ex gestis ipsius Innocentii III.  
referit Bosquetus in notis ad ipsum, lib. 1. epist. 26.  
in hac verba: ( Interim quidam natione Bur-  
gundio, electus in Archiepiscopum de Patras,  
super Provinciam Achajæ universam, ad Apo-  
stolicam Sedem accessit. Pro quo nobis vit  
Guillelmus Campaniensis Princeps Achajæ, &  
Canonici Sancti Andreae de Patras humiliter  
supplicabant, ut ipsum eis in Archiepiscopum  
Summus Pontifex concedere dignaretur, remit-  
tendo ipsum confirmatum, consecratum, & palliatum.  
Quod qualiter super hoc factò processit,  
ipsius litteræ manifestant Constantiopolitanus  
Patriarchæ transmisse. Inter quatuor, inquit,  
animalia, qua super Apocalypsin Joannis in  
medio sedis, & in circuitu existere describun-  
tur, scilicet aquila cæteris preponitur, ipsa  
tamen alius antecessit. Quod cum per hujusmodi  
sancta Romana Ecclesia designetur, qua usita-  
to vocabulo, Sedes Apostolica nuncupatur; &  
per quatuor animalia, videlicet leonem, vitu-  
lum, hominem, atque aquilam, intelligantur  
quatuor Patriarchales Ecclesiae, videlicet, Hiero-  
politana, Antiochenæ, Alexandrina, Con-  
stantinopoli, qua in medio sedis tanquam  
filii continentur in filio matri, & in circuitu  
sedis, fortior in obsequio, Domino præparan-  
tut. Licet Constantiopolitanæ Ecclesiæ inter  
cæteras est præcipua dignitate, ut sicut Con-  
stantinopolis est nova Roma, sic Constanti-  
opianæ Ecclesiæ secunda est à Romana, prælata  
per Magistrum cæteris fororum suis, prævile-  
gio dignitatis: ut secundum evangelicam veri-  
tatem erunt primi novissimi, & novissimi primi.  
Nos qui gratiâ Redemptoris ipsam Constanti-  
opianam Ecclesiæ ad Apostolicæ Sedis  
obedientiam, tanquam ad finium reduximus  
matris lux, privilegium dignitatis ipsius inten-  
dimus integrum conservare, ne inde nascantur  
injuræ, unde iura nascuntur. Et ideo, licet di-  
lectus filius Nobilis vir Vv. Campaniensis, Prin-  
ceps totius Achajæ provincie, & Canonici san-  
cti Andreae de Patras, nobis insitanter & humili-  
ter supplicant, ut dilectum filium A. electum  
sancti Andreae de Patras, ad Sedem Apostolici-  
cam accedentem, quem idem Canonici in Ar-  
chiepiscopum Ecclesiæ unanimiter elegerant,  
eis concedere dignarem; & quod circa per-  
sonam illius factum fuerat, approbantes, adeos-  
cum pleno remitteremus honore. Volentes tan-  
quam sic eorum petitiones admittentes, ut aliis  
iura sua nequaquam subtrahere videamus: de  
communi fratribus nostrorum consilio, quod per  
evidem Canonicos factum est, tanquam minus  
canonic proquiratum, cum & ipsi minus cano-  
nicæ fuerint instituti, non duximus approban-  
dum: sed necessitate pariter ac utilitate pensata,  
postquam de veritate negotii, & statu terra per  
juramento sociorum ipsius electi effecti fuimus  
certiores; & de potestate nobis à Domino in B.  
Petro concessâ, ipsum ejusdem Ecclesiæ Pasto-  
rem constitutimus & rectorem, administratio-  
nem sibi plenariam, tam in spiritualibus, quam  
in temporalibus concedentes, & indulgentes  
infiper ad cauelam, ut à quocunque Catholi-  
co Episcopo se faciat, cum necesse fuerit, in  
presbyterum ordinati. Licet autem de plenitu-

dine potestatis, quam habemus à Domino dis-  
ponente super Ecclesiæ universas, ipsum ad Ec-  
clesiam eandem confirmationis munere ac hono-  
re Pallii possumus insignitum remittere; quia  
sic te vocavimus in partem sollicitudinis, quod  
nobis retinuimus plenitudinem potestatis; nec  
facimus cuicunque injuriam, cum ultimur jure no-  
stro. Volentes tamen tibi, cui Ecclesia de Pa-  
tras noscitur esse subiecta, in tua maximè novi-  
tate deferre, ipsum ad te duximus remittendum,  
ut à te, vel alio de mandato tuo, in Archiepiscopum  
consecratus, & palliatus, habere te, post  
Romanum Pontificem, patrem præcipuum re-  
cognoscas. Dilecto filio Benedito tituli sanctæ  
Suffianæ Presbytero Cardinali, Apostolica Sedi  
Legato nostris dantes litteras in mandatis,  
ut ea qua præmissis circa personam ipsius, ap-  
pellatione temora faciat adimpleri. Quocirca  
fraternitati tue per Apostolica scripta præcipien-  
tes mandamus, quatenus ipsum consecrationis  
munere ac honore Palli non differas insignire, ne  
propter tuum, quod absit, defectum, ad nos co-  
gatur habere recusatum.)

## COMMENTARIUM.

**E**x his tribus decisionibus sequens commu-  
niter deducitur assertio: Clerici non residentes  
in iure beneficis, & prebendis, si admoniti, & ci-  
tati non resident, privantur ipsis beneficis. Pro-  
batur textus in cap. placit. 2. 21. quæst. 2. cap.  
28. de appel. cap. si quis Presbyter, 24. cap.  
sequi in clero 28. 7. quæst. 1. & alii congett. suprà  
commentario primo. Illustrant ultra congestos  
in præsenti à Barboia, & suprà laudatos in dicto  
commentario primo, Azor z. p. in istit. lib. 7. cap. 6.  
quæst. 4. Garcia de benef. 3. p. cap. 2. num. 131.  
Solorzanus de jure Indiar. tom. 2. lib. 2. c. 25 n. 43.  
Scotia in select. Pontif. const. theor. 152. epist. 102.  
plures congett. ab Hurtado tom. 1. de resid. P. flor.  
resol. 2. Roma uid. Ut ut greci dev. 1041 ubi de-  
claratur huic textu non derogari quoad formam  
judicis per Tridentinum / ff. 23 a reform. c. 4.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem deci-  
sionem ita intuigi potest: In præsenti specie  
contra clericum ablentem, nec residentem pro  
cedi debet per excommunicationem, suspensi-  
onem, similesque censuras cap. si quis 15. 1. quæst. 3.  
cap. non oportet 19. 7. 9. 1. quæ plaxis observanda  
præscribitur ab Innocentio in his cap. ex rœta 11. §.  
contra. Ergo non debet statim clericus contumax  
in non residente beneficio privari, contra tex-  
tum in cap. 1. de judicis. Secundò difficultis est  
hæc assertio, dum per eam docet, clericum  
ablentem esse citandum, & per legitimum tem-  
pus expectari debere; nam in notoriis juris oido  
est ordinem juris non obseruare, cap. qnoniam. 10.  
de filiis presbyt. cap. ad nostram, 17. de jure sur. Sed  
cum clericus abest a propria Ecclesia, notum  
est, nolle in ea residere: igitur necessaria non est  
citatio, seu similis monitio. Augetur hæc dif-  
ficultas ex textu in cap. extirpanda, 30. 3. qui vero,  
de prab. ibi: Altoquin illa secessat auctoritate hujus  
decreti privatum, ubi ex parte docetur, clericum  
non residentem privatum esse beneficio ipso  
jure: igitur non est necessaria monitio, ut re-  
deat ad propriam Ecclesiam. Accedit etiam,  
quia ubi dies certus apponitur, & pena adjici-  
tur, non datur mora emendatio, vel purgatio,  
1. tractat. 23. vers. de illo ff. de obl. Et act. 1. ma-

gna 12. C. de contrahend. s. p. 1. n. 128. existimavit, in eo tex-  
tu referri novam Concilii Lateranensis sanctionem, qui tubularis & antiquata sunt praesentes decisiones.

Sed hæc solutio aperte convincit ex cap. final. hoc tu. cuius auctor est Gregorius IX. qui floruit post dictum Concil. Lateranense, & docet clericum non residentem spoliandum esse: Ergo quia ipso jure non est privatus. Alter Lo-  
therius lib. 3. de re benefic. quæst. 27. num. 47. di-  
stinguit privationem beneficii ab ejus pena ex-  
ecutione, ita ut ad privationem non sit necessaria  
ulla monitio, quia ipso jure sit, & contingit ex  
dicto cap. quia vero; at vero exequitio ipsius pen-  
ae, quia faciens est per sententiam declaratori-  
am, juxta textum vs cap. cùm secundum 19. de he-  
retic. m. 6. necessaria est monitio, nec penam pri-  
vationis admittit Lotharius æqualiter in omnibus  
beneficiis, sed tantum in illis, in quibus deside-  
ratur residentia à jure divino, exceptis Episcopatu-  
bus, cùm nulla reperiatur lex ecclesiastica, quæ  
Episcopis non residentibus penam privations  
ipso jure imponat. Sed hæc interpretatio con-  
vincitur ex ipsius iuribus, quibus admittetur, vide-  
licet ex præsenibus, cap. inter 10. cap. ex tua 9.  
ubi agitur de beneficiis parochialibus, ut ex eoru-  
rum littera constat, & adhuc ab Innocentio III.  
exiguntur monitio. Accedit, nam si juxta Lothe-  
rium monitio hæc tantum fieret ad executionem pen-  
ae, non expectaretur per sex menses possessor  
beneficii, ut si residere velit, beneficium retine-  
at; sed statim privandus erat beneficium: igitur quia  
talis monitio non solum si ad executionem pen-  
ae, sed ad ipsam privationem faciendam. Tho-  
mas Hurtado dæcisit dictaré soi. 2. affirmat id s.  
quia vero, non excludi monitionem, quam in  
præseni exigit Innocentius; sed textum illum esse  
accipiendum præcedente monitione. Verumvis  
solutionibus omisis magis placet interpretatio  
Germanii lib. 1. animad. cap. 17. qui ut jura hæc  
componat, affirmat clericum non residentem in  
sua præbenda, aut beneficio, illo privari ipso iure,  
ut in aliis casibus à jure statutis, in quibus hæc  
privations pena imponitur, ut in cap. 1. de cleric.  
conjugal. cap. cùm ex 20. de elect. 34. in 6. Sed discri-  
men agno/cit inter beneficiarios praesentes, & non  
residentes, & inter absentes; ita ut praesentes, &  
non residentes, ipso jure beneficiis priventur abs-  
que ulla monitione; absentes vero prius monendi  
sunt, quia possunt absesse ex justa causa, quam si  
probaverint coram Episcopo, beneficium privandi  
non erunt; quæ distinctio magnopere convenit  
decisionibus sub hoc titulo à Raymundo compiliatis,  
in quibus agitur de beneficiariis absensibus,  
qui necessari monendi sunt, cùm in eis non re-  
periatur notoria voluntas non residendi, ut in il-  
lis, qui cum præsentes sint, residere nolunt. Nec  
tandem obstat ultimum augmentum dubitandi ra-  
tionis; nam in praesenti casu non expectatur ab-  
sens per sex menses, ut mora purgetur, sed ut  
allegatur, & probata justa absenta causa, priva-  
tio beneficii cesset, quæ est pena non residentis  
sine causa.

4.  
De pena  
privations  
beneficii.

Quibus difficultatibus minime obstantibus ve-  
ra est prælens assertio, pro cuius expositione pra-  
nocandum est, clericum non residentem in pro-  
pria Ecclesia, beneficio privandum esse, ex juris  
bus iuris adductis; eamque privationem facien-  
dam esse post citationem, si adhuc non compare-  
at intra certum sibi præfixum. Jalon in l. si ex  
legati, num. 14. de verb. obl. quia dies in ipsa mo-  
nitione adjecta, interposita interpellat pro homi-  
ne, cap. potius 4. de locato, etiam ignorantie, l. ad  
diem 77. ff. de verb. obl. licet interpellatio tantum  
constituerit in mora debitorem conscientem, l. quodre  
mibus, ff. de rebua creditis; in die enim à jure affi-  
gnata non potest darf ubi ignorantia caula; in  
interpellatione vero ab homine facta necit debi-  
tor quando interpellandus sit; quo modo expo-  
nendi sunt textus in cap. licet 14. de elect. in 6. l. Col-  
sui 23. ff. de arbitrio, l. Et si post tria 8. ff. si quis cau-  
tionibus, l. qui Roma 122. 5. Flavina 2. ff. de verb.  
obl. docent Gifanius, Duarenus, & Cujac. in l. in  
insulam. ff. de verb. obl. Conta Præclaros igitur,  
vel beneficiarios absentes jure communi attente  
hoc modo proceditur, ut si absens citari non pos-  
sit, quia est in loco valde remoto, vel non tuto,  
tribus editis citabatur, ex praesenti texu; nec suf-  
ficiet una citatio peremptoria, cùm agatur de pe-  
na privations beneficii, juxta textum in cap. con-  
stitucionem 9. de sent. excom. lib. 6. Si autem no-  
rum si ubi degat, citatio personalis desideratur,  
cap. ex parte 13. cap. final. hoc tu. hodie tamen hæc  
citatio non est necessaria, sed suffici absensem ci-  
tari per edictum, juxta formam præscriptam in  
Concilio Tridentino sef. 23 de reform. cap. 1. &c si  
ita citatus venerit, justa que absentiæ causam al-  
legaverit, privari beneficio non debet, cap. inter-  
10. hoc tu. quia ubi non datur contemptus, non  
datur pena, l. Pater 101. ff. de condit. Et demonstr.

Nec obstat prima difficultas suprà expensa, pro  
respondens cuius solutione animadvertis Panormitan. In præ-  
difficultatis  
bus.  
sent, quod licet pena ordinaria non residentis,  
sit beneficii privatio, tamen Episcopus potest  
omittere eam penam, & incipere ab excommuni-  
catione, vel suspensione, cap. placit. 21. q. 2. &  
si adhuc contumax fuerit in residendo, privari de-  
bet ipso beneficio, ex supra traditis. Nec secun-  
da difficultas obstat; nam licet notoria sit absentia  
Prælati, desideratur adhuc citatio, seu monitio;  
quia non ita notoria est ejus contumacia, siquidem ex iustis causis, & à jure approbat potest  
abesse à propria Ecclesia; unde monetur ut veniat  
intra certum tempus, easque proponat, ne si  
fortè ex iusta aliqua causa absit, inauditus proprio  
beneficio spolietur: probat Solozanus tom. 2. de  
jure Indian. lib. 2. c. 25. n. 42. Difficilis est aug-  
mentum ipsius dubitandi rationis, deductum  
ex dict. exirpando, 30. 5. quia vero; pro cuius so-  
lutione varia juris Interpretes adduxerunt. Gar-

CAPUT